

The Electronic Manipulus florum  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Inuidia u  
cum fonte primo

Inuidis

aliena prosperitas aduersa, aliena aduersitas prospera iudicatur. Hii in aliena gratulacione tristantur, in aliena tristicia gratulantur. Isti suas in aliena paupertate diuicias, suam paupertatem in alienis diuiciis meciuntur. Isti aut aliene fame serenitatem detractionis nubilo nubilare conantur, aut eiusdem gloriam sola taciturnitate furari. Isti aut puram aliene probitatis sinceritatem fermentant, aut ueris falsitatis fermenta maritant.

Sapiencie

gloriam degloriat liuor inglorius.

Alanus ibidem (de complanctu nature).

Hec inuidie tabes plerosque tabefacit qui, dum aliene fame nitorem conantur deterere, prima sue probitatis sentiunt detrimenta. His aliena prosperitas aduersa, aliena aduersitas prospera iudicatur. Hii in aliena gratulacione tristantur, in aliena tristicia gratulantur. Isti suas in aliena paupertate diuicias, suam paupertatem in alienis diuiciis metiuntur. Isti aut aliene fame serenitatem detractionis nubilo nubilare conantur aut eiusdem gloriam sola taciturnitate furari. Isti aut puram aliene probitatis sinceritatem fermentant aut ueris falsitatis fermenta maritant. Pro dolor, inuidia quid monstruosius monstrum, quid dampnosius dampnum, que culpabilior culpa, que penaliore pena? Hec est erronee cecitatis abissus, humane mentis infernus, contentionis stimulus, corrixationis aculeus. Qui sunt inuidiae motus nisi humane tranquillitatis hostes, mentalis depredationis satellites, animi laborantis uigilie hostiles, aliene felicitatis excubiae? Quid prodest alicui si ei serenitas fortune prosperantis applaudat, corpus etiam purpuramento pulcritudinis hylaescat, mens etiam sapientie splendore prefulgeat, cum liuentis inuidie latrocinium mentis depredans diuicias, fortune prosperantis serenitatem aduersitatis uertat in nubila? decoris aurum turpitudinis demittat in scoriam? prudentie gloriam degloriet liuor inglorius?

Alanus de Insulis, *De planctu naturae*, 14 (N.M. Häring ed., pp.861-2, ll.65-84).